



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

8 Delegata iurisdictio de persona ad personam prorogari non potest, etiam iudice in id consentiente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

2. *Iurisdictio in Matrimonialibus prescribi, & inferiori Episcopo conuenire potest.*
3. *Episcopus examen sibi commissum a Papa, cum clausula, In quo conscientiam tuam oneramus, alteri committere potest.*
4. *Episcopus impeditur adire Concilium, potest se per procuratorem excusare.*
5. *Pontifex causam alicui delegando, illam ad se auocasse non censetur.*
6. *Delegatio Episcopo facta non transit in eius vicarium, licet possit specialiter subdelegari.*
7. *Episcopus Vicario commissa expedire nequit.*
8. *Delegata iurisdictio de persona ad personam prorogari non potest, etiam iudice in id consentiente.*
9. *Subdelegatus potestatem sibi commissam alteri demandare nequit.*
10. *Delegatus in causa sibi delegata est maior quam legatus.*

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 3.

- C**onservatores, & Inquisitores hæreticæ prauitatis, quamuis iudices delegati sint, ex c. 1. & c. vlt. de offic. deleg. in 6. & ex Franc. in cap. Ne aliqui, de hæretic. in 6. conservatores tamen etiam de causis ecclesiasticis in prima instantia cognoscere possunt, in qua non possunt cognoscere nisi iudices ordinarij, vnde quoad hoc iudices ordinarij reputandi sunt, & proinde in conservatoribus etiam tanquam iudicibus ordinarijs, Concilium Tridentinum sess. 24. c. 20. de ref. in princ. locum habere cõferretur, ne gratia principis conservatoria eis pereat.

DECISIO II.

- I**urisdictio & facultas cognoscendi de causis Matrimonialibus, & criminalibus, Abbatibus, & alis Prælatibus inferioribus Episcopo concessa, qui per præscriptionem, consuetudinem, & priuilegium, facultatem cognoscendi de huiusmodi causis Matrimonialibus sibi acquisierunt, per Concilium Tridentinum sess. 24. c. 20. de ref. §. Ad hæc non tollitur, cum constet legem generalem non derogare consuetudini, præscriptioni, & statutis particularibus, nisi de mente legislatoris potentis derogare illis constet, Nulla autem mentio derogationis in Concilio apparet, cum tamen iure communi certum sit, vt patet ex c. 1. de const. in 6. & c. 1. de constang. ex Pan. in c. Auditis, de rescript. & ex Cou. in epi. 2. p. c. 8. §. 12. quosdam prælatos Episcopo inferiores acquisiuisse sibi per consuetudinem præscriptionem, & sententiam, facultatem de causis Matrimonialibus, & criminalibus cognoscendi.

DECISIO III.

Ex consil. 2. alias 6.

- E**piscopus examen sibi a Papa commissum cum Clausula. *In quo conscientiam tuam oneramus.* Sed non exprimitur nomen proprium, alteri committere potest; Cum hæc verba, potius in vim monitionis, quam in vim forme delegationis posita sint. Feli. in c. fin. §. is autem, de offic. deleg. & Rota in decis. 368. in nouis.

DECISIO IV.

Ex consil. 3. alias 8. de Maor. & obediens.

- E**piscopus legitime impeditus vocatus ad Concilium Prouinciale, aut aliud, per Procuratorem se excusare potest, qui etiã Procurator Episcopi habens speciale mandatum, consentiente Concilio ei interesse potest; cura ecclesia Sutrina de causa posses. & propr. Illum tamen admittere Concilium non tenetur, saltem si non sit vnus ex Episcopis suffraganeis interessentibus Concilio cum alijs Episcopis. Arg. c. si quis iusto. §. porro, de elect. in 6. Procurator autem talis, si Episcopus non sit, Abbatibus per sese presentibus postponi debet: licet enim vices gerens alterius tanquam representans honorandus sit, c. Sane. 2. de offic. deleg. & c. si. dist. 93. non tamen tantum ac ille, cuius vices gerit, vt ait Decius in d. cap. sane. Vnde Dux, Abbasque præfens inferioris dignitatis, legato procuratori Ducem vel Abbatem absentem excellentioris gradus representati,

preponendus est, sicut olim Rex Christianissimus Ducem Sabaudie præsentem, legato Venetiarum, Ducem Venetum absentem representantem, præposuisse legitur.

DECISIO V.

Ex consil. 1. in Nouis deest in antiquis.

- P**apa causam alicui denegando, illam ad se auocasse non censetur: vnde si re integra expirat dicta commissio, primus Iudex, siue ordinarius, siue delegatus, sine noua delegatione procedere potest; c. vt debitus honor, de appell. Immo etiam causa delegationem Papa impetrans, re integra ei renunciare, & coram primo iudice causam agere potest, c. quod ob gratiam, de reg. iur. in 6.

DECISIO VI.

Ex consil. 4. in Nouis, est secunda pars consil. 32. de sent. excom. in antiq. sed melius hic collocatur.

- D**elegatio Episcopo etiam perpetua facta, vt sunt conservatoria, quamuis in eius vicarium generalem non transeat, vt sentit Decius in cap. quoniam Abb. de offic. iudi. deleg. eidem tamẽ subdelegari specialiter potest, cuius subdelegationis virtute, vicarius huiusmodi, Rectorem, aut alium ciuitatis officialem excommunicare potest.

DECISIO VII.

Ex consilio 5. in Nouis, deest in antiquis.

- D**elegatio facta officiali, seu vicario Episcopi, de beneficio conferendo, in ipsum Episcopum, vicario ab officio remoto, non transit, sicut nec e contra, Episcopo commissa vicarius eius expedire valet.

DECISIO VIII.

Ex consil. 8. in Nouis, deest in antiq.

- C**um iurisdictio delegata de persona ad personam prorogari nequeat, c. 1. de offic. deleg. penitens postquam vnum confessarium elegerit, cui acceptanti sacre Penitentiarie literas præsentauit, eo dimisso, alterum eligere non potest, etiam si primò electus consentiat. Siquidem iurisdictio delegata delegantis iurisdictio est, ideoque ad ipsum delegantem, cuius illa est, & non ad partes, vel ad iudicem electum, eam extendere pertinet.

DECISIO IX.

Ex consil. 9. in Nouis, deest in antiquis.

- D**elegatus Principis, etiam iurisditionem subdelegare possit, subdelegatus tamen illam alteri demandare nequit, vbi autem quis duplicem potestatem, scilicet, tam delegatam quam ordinariam habet, si ex vtraque procedat, sustinetur, & valet actus ex illa secundum quam melius id facere potuit.

DECISIO X.

Ex consil. 10. in Nouis, deest in antiquis.

- C**um Episcopus vt delegatus in causa sibi delegata maior sit, quam legatus, etiam maiorem cum Capitulo, quã legatus coniunctionem non habeat, tamen sicut legatus, ita etiam Episcopus tanquam Apostolicæ Sedis delegatus sine consensu Capituli beneficia vnire potest ex Concilio Tridentino sess. 21. c. 5. de refor.

TITVLVS XVIII.

De officio iudicis ordinarij.

S V M M A R I V M.

1. *Vicarius Episcopi, non Sacerdos, Matrimonij interesse non potest, sed sacerdoti ea delegare debet.*
2. *Episcopus ex officio contra concubinarjos inquirere potest.*
3. *Episcopus ad Vicarios Generales constituendos cogi potest, & quare.*
4. *Confratria, an Collegium laicum, aut ecclesiasticum dici possit.*
5. *Episcopus Capellanum perpetuam, temporalem facere potest, & beneficia sui episcopatus, vnire, diuidere & extinguere.*